



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 9. Lapidum & metalloru[m] monstra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

vox aliud monuit, aliud auditor intellexit. Quid tonitrua de cælo, quid terræ tremebundæ mugitus aliud significant, quàm vt iram Dei fugiamus? Vt enim homini, qui Conditori suo seruit, seruiunt omnia; ita eidem exorbitanti omnia minitantur. *Omnis enim creatura ad suum genus ab initio resfigurabatur, deseruiens tuis preceptis, ut pueri tui custodirentur illasi. Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio: per quem omnis natio transiit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.* Sed quia huc pertinent omnia monstra terrarum, sapius à nobis attingenda, compendio locus esto.

## §. IX.

*Lapidum & metallorum Monstra.*

*Præcipue admirationis etiam illa prodigia, quæ, Romæ, inter initia motusq̃ bellorum acciderunt, inter quæ fuit, in Piceno lapidibus pluuisse. In Gallia lupum vigiliè vagina gladium abstulisse. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse. Sed nihil est supra lapides illos circiter 1200. qui magno omnium stupore,*

stupore, in agro fluuio Abduæ contermino, è cælo ceciderunt. Ex illis enim, vt Cardanus de rerum varietatæ scribit, vnus 120. pondo, alius sexaginta, delati fuerunt ad regis Gallorum satrapas, & pro miraculo habiti sunt. Color eorum ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus. Præcesserat in cælo ignis ingens horâ tertiâ. Decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus, vt mirum sit, horis duabus, tantam molem in aëre sustineri potuisse. Intra viginti menses pulsi Mediolano Galli. Triennio post reuersi variâ prius fortunâ, inde iterum acti, ad excidium profligati. Vrbs Mediolanensium, in cuius finibus ceciderant lapides, vectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquam grauius vexata. Atque hi lapides Anno salutis 1510. lapsi sunt è nubibus, priora autem illa portenta lapidum, & gladij, per lupum è vagina educti, P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. contigerunt. Ita & in lapidibus, & in metallis signa habita sunt. Sed in metallis alia quoque edita leguntur. *Clitodemus omnium, quotquot Atheniensium res paruas descripserunt antiquissimus, in Attica historia inquit; cùm*

Pausan.  
l. 10.  
Athe-

*Athenienses classem iam Siciliam versus infruxissent, infinitam cornuorum multitudinem pronolasse Delphos, & mutilasse simulachri partes, aurumq; ab eo rostris detraxisse. Ad- dit idem, hastam fregisse cornos & noctuas, & quidquid ad imitationem fructuum autumnalium erat ad palmam effictum. Mira vel monstra, vel miracula, vel vtraque simul in metallis futura significantibus recen- sentur. Gaspar Ens refert, de Comitibus Westerburgijs, qui arcem habuerunt, non procul à Rheno, edito loco impositam. Il- li aliquando, ob pestem inibi grassantem aliò concesserant. Non multò post tamen redierunt. Dum in arcem ascendunt, ecce malleus horologij pro tertia aut quarta hora pomeridiana, sponte vndecim icti- bus exsonat. Mirantur omnes insolitum errorem; hospites causam exquirunt ab arcis custode, qui ait, nullam se eiusce rei causam scire:; horologium quidem com- plusculis diebus à nemine tactum. Quid fit? recrudescit mox pestis, & comites vnà cum ijs, qui redierant, tot numero, quot æs Campanum sonitu suoapte indicauerat, interemit. Frequentiùs hoc prodigij ge- nus accidit, vt de ventura homines mortis*

hora

Gaspar  
Ens. l. 4.  
Pausilip.

Matth. 24  
24.

hōra simili iudicio admoneantur; adeò bonus Deus non solum verbis prædixit, docuitque, se more furis venturum; sed insuper quibusdam, ne lauernionis instar, sed vt præscitus veniat, etiam dignatur aduentum suum significare; ita nulla illis est excusatio, qui deprehenduntur imparati & dormientes. Quin eiusdem authoris testimonio, in Aragonia æs quoddam est Campanum, quod *Campanam miraculosam* vocant, non procul à Villila. Hoc æs in turri quadam colli impositum pendet, circuitu ad X. vlnas complexum, sua sponte, id est, nullis hominum manibus, nullo vento, nullo terræ motu, alteriusue sub aspectum cadentis rei impulsu, sonat; raro tamen. Animaduersum est, eum sonum, semper aliquid magni portendere. Factum id aiunt, paulo antè, quàm Sebastianus Lusitaniæ rex expeditionem in Africam suscepisset. Item, cùm Alfonso rex Aragoniæ numeroso instructus exercitu in Italiam profectus Neapolitanum regnum occupasset: itemque sub excessum Caroli V. Imp: vt & in periculoso morbo Philippi II. regis, nec non in morte Annæ reginæ. Quin etiam aiunt, Anno 1610. 13. die

P

Quin-

Quintilis vsque ad 24. sonitum eius de die in diem, per interualla auditum esse. Nimirum quemadmodum in domibus Religiosorum, ad dormiendum & vigilandum, ad orandum & cantandum æris pulsu signum solet dari, vt omnia ordine fiant, neque quidquam, quod ad disciplinam pertinet, negligatur; & quemadmodum in urbibus tinnitu sonituq; æris mortales ad templum conuocantur; ita & Deus subinde in vniverso orbe commouet homines, vt excubent, & officio suo non desint. Ne-

Pfal. 150. *que sine caussa dictum est: Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.*

§. X.

*Plantarum fausta & infausta monstra.*

Plin. l. 6.  
nat. hist.  
cap. 32.

In plantis quoq; monstra euenire plures testantur. Nam est in exemplis, arbores & sine tempestate, vllâne caussa alia, quam prodigij cecidisse multas, ac sua sponte resurrexisse. Factum hoc populi Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceria in luco Iunonis, ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita vt protinus floret. A quo deinde tempore maiestas populi

Rom: